


V C  
2978

11









h. 25, 5 Q. XXV, 5.

V c  
2978

(3)

Parentatio

MEMORIAE ILLV.  
STRISIMI PRINCIPIS AC  
Domini, Domini AVGVSTI. Ducis  
ac Electoris Saxoniae, &c.

*De vita religionisq; societate optime  
meriti, in Academia Vitebergensi*

Quintum facta,

Ex constitutione ac mandato

ILLVSTRISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI,  
Domini CHRISTIANI, Filij, Ducis  
ac Electoris Saxoniae, &c.

*Naunte hanc operam submissè*

*Iohanne Maiore; D.*

VVITEBERGÆ

*Typis Christophori Axini. Anno*

M. D. XCL



128

128



MEMORIAE ILLV  
STRISII PRINCIPIS AC  
DOMINI DOMINI AVGVSTI DUCIS  
et ELECTORIS SACCORV. etc.

Quintum is is

ILLVSTRISII PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI CAROLVS SECVNDVS DUCIS  
et ELECTORIS SACCORV. etc.

WITTEBERG  
M. D. C. C. C.



11





# PARENTATIO.



PSA fidem faciunt ætates signa per  
omnes

Fluxa quòd est hominis gloria, fluxus  
homo.

Si quod habes specimen, vel honesto in  
munere fulges,

Et persona cadit funere: qualis homo es?

Detrahitur species, nudusq; relinquitur ortus;

Fit spoliū mortis quicquid honoris habes.

SIC aliquis vires naturæ expertus in horto,

Quam dolet, exiguam floribus esse moram,

Ardua deflexo succumbunt lilia collo;

Si quid es: id breuiter, vel nihil esse vides.

Prætereunt omnes habitus, & gratia mundi;

Sed sumus id solū, quod pietate sumus.

Semper habet pietas sua præmia, semper honorem;

Sic iuuat AVGVSTVM fama, fuisse pium.

Æui quem series mirabitur omnis; & olim

Omnibus in Cedris facta notata leget.

Non saxo incidi, tot dotes simplice possunt,

Siue, tegi parua mole, quod Orbe volat.

Vix ymbra[m] assequiter si corpus pingere tentem;

Sed pensat vires mensque fidesque meas.

HANC quia iustitiæ partem Deus exigit vltor,

Vt meritis reddat gratia nostra vicem.

A 2

Non



Non etenim casu, aut temerè euenisse putandum est,  
Si qua dat, aut aufert munera rara D E V S.  
Vult marito sensum retineri in pectore nostro;  
Non mouet ingrati de lae pœna pedem.  
E R G O Deum hos nostros censete requirere cœtus,  
In quibus A V G V S T O gratus habetur honos.  
Perpetui affectus monumentum & pignus in illo est;  
Et pius in cinerem signa remittit amor.  
Non ut is hac egeat vel pompa, aut carmine nostro:  
Cui sua pars cœlum est, forsque suprema Deus;  
Sed quòd eam legem Natura in pectora fixit,  
Ut ferat altori munera quisque suo.  
Hæc veterem Augustum celebrat sub nomine mensis;  
Nam speciem laudis mentio talis habet.  
Hæc alios, qui vel studijs fecêre benignè,  
Aut benè de rebus promeruêre sacris.  
Hæc etiam A V G V S T O solennia verba recenti,  
Ac animi grati pignora ferre iubet.  
N O N in Democriti ludo versamur inepto:  
Et, cui non tetigit pectora cruda dolor.  
Ritibus his, nostra fragili de sorte monemur;  
Et quæ causa nefas intulit, atque necem.  
Quique ream sanet naturam, & functa sepulcris  
Corpora det cœli luce perennè frui.  
H I N C iterum A V G V S T O laus annua soluit honorem:  
Nam benè rem gessit miles in arte togæ:

Quem



Quem raptum ex acie tuto dedit esse receptu  
Præcinctum lauri fronde virente D E V S.  
NOS quoque confecto iuuet hinc decedere cursu,  
Conscia si recti mens sit, & æqua fides.  
Membra sumus Christi; neque nos sententia fallit  
Quin vitale caput membra reducet humo;  
Attrahit ut ferrum Magnes; quia spiritus huius  
In ferro arcana sub ratione latet.  
Et, meritis Christi fretus in funere, certum est  
Ad superos recto calle volare choros.  
QVÆ Deus exhibuit nobis ductore sub isto  
Fas diuina loqui dona, filere nefas.  
Non tamen ut ramos ductum genus omne per altos:  
Aut quo res æui quæque sit acta gradu:  
Aut dotes animi, quas auxit cultus, & usus,  
Exequar; aut gestum nomen, & omne decus.  
Condere res gestas non est labor unius horæ;  
Delibant flores, non populantur apes.  
Sic apices rerum strictim modò tangere mens est;  
Ex florum numero fascia lecta sat est.  
Quis satis Augusti merita efferat arte diserta,  
Extulit ad summos quem Deus ipse gradus?  
Recta tamen facere, & rectè nos facta probare  
Vult Deus; Et laus est tollere laude bonos.  
Nam vult notitiam virtutum extare perennem,  
Quæ vitæ rectrix, & sit imago Dei.

A 3 Scilicet



Scilicet ut vitium & virtus discrimen haberent,  
Et morum specimen gens rudis inde trahat.  
ERGO, quod huic laudem tulit: & quæ sceptrā tenenti  
Conueniant partes, quo licet ore, canam.  
PRÆ quibus, in primo Pietas sese ordine vertit;  
Ex qua virtutum tota propago venit:  
Quaque doli expertem doctrinam amplexus amauit,  
Perque suos fines iussit habere locum.  
Proxima cui subijt de ludis cura merendi,  
Vnde pij cœtus surgit honesta seges.  
Excipit has virtus quæ tutam à motibus oram  
Hanc dedit; Augusti signa prioris habens.  
Cætera prætereo; tamen his tribus addita nexu  
Agmina, non nostra voce latere sinam.  
Sed non quot partes habeant, & nomina quæ sint:  
Crescat in immensum ne mihi carmen opus.  
HÆC dum iussus ago; non tam mihi conscius artis,  
Non gestus aliquo fretus honore mei:  
Quam venia vestra; linguisque, animisque fauete;  
Sed prius in partem ritè vocate Deum,  
Quo vim dante suam, flectit vox Dædala sensus,  
Et lauat in versu Gratia trina manus.  
CHRISTE fac ut numeris sint nerui, & gratia verbis,  
Aère nec vacuo te sine sparsa volent.  
Tu generi humano das iura; forique potestas  
Vi sancita tua, voce probata tua est.

Tu



Tu Patris es ratio, qua flectunt frenâ regentes;  
Arbitria & lancem qui tenet æqua facit.  
VSVS in officio varius latet ordinis alti;  
Quaque Deum præstat fors sua grata Deo est.  
Nulla tamen tam grata Deo est, tam commoda genti,  
Quam si religio libera fraude sonat.  
Omnis & huic operæ si cura impenditur uni,  
Ut lolio careant semina, verba dolo.  
Nec quis doctrinæ faciat vim partibus ullis;  
Sed Fidei ad normam congrua sensa ferat.  
Nam doctrina Dei sibi parte cohæret in omni;  
In capite impingens: omnia membra terit.  
Hinc verbum ex Fidei partiri lege necesse est;  
Recta tibi hanc ratio monstrat & artis opus.  
Regula iudicij manet inuiolabile verbum;  
Non sine multiplici vis tamen arte paret.  
Qui disciplinas alias modus arte gubernat:  
Subsidio sacris hic quoque rebus adest.  
Difficile est, animo veterem deponere sensum,  
Precipue speciem si pietatis habet.  
Quid moror? esse Dei cultum, veniamque reatus  
In ritu positam cernua turba putat.  
Hanc, seu naturæ vitio, seu labe priorum  
Insedit, nebulam voce notare pium est.  
Alma Fides igitur gressum ex ambage resoluit,  
Lucis & ad veræ corda reduxit iter.



Hoc iter ad cœlum signat Deus indice Verbo;  
Ponte nec hic opus est, Mercurijue manu.  
Danda opera est autem ne de splendore renato  
In veterem recidant pectora læua situm.  
Ne ducis à Christi signis ad castra Baälis  
Neglecta Sophiæ cognitione ruant.  
**HOC** genere officij sibi nostram obstrinxerat oram  
**AVGVSTVS** veterum non pietate minor.  
Vixque locum hac ulli virtutis parte reliquit;  
Vix terra huic meritis est habitura parem.  
Qui vocet Augustum tanti in certamen honoris:  
Is Martem ferro prouocet: igne Iouem.  
Vel, qui se meritis Augusto comparet alter:  
Com Solis nitido conferat axe facem.  
Quòd sibi proposuit cœlestia sacra tueri,  
Qui neget, hunc hominis pectus habere negem.  
Ordinis ille pij curam concepit; & Artes  
Ad sacrum studium censuit esse duces.  
Quas stipe prouexit larga, & suppleuit egenam  
Sorte sua fortem, muneribusque fidem.  
Cùmque Dei cultum magnis extenderet ausis:  
Ipse Dei cultor non simulatus erat.  
Nam sacer huic sensus inflexit spiritus omnes,  
Vt vita in terris more sit acta Dei.  
Sorde voluptatum spreta, mollique quiete  
Officijs operam, quæ iubet ordo, dedit.

Nec



Nec fucatus erat, sed serius actus in ipso,  
Signaque virtutum vera, nec umbra fugax.  
Non ceu membra foris, vel gestus Scipio rexit:  
Sed ceu se vetito continet igne Ioseph.  
Christus enim hos motus per Verbum accendit in ipso,  
Verba dedit fuco, facta carere dolo.  
Hæc solida est virtus, cui rebus in omnibus una  
Proposita est Christi laus, hominumque salus.  
Q V I S delubra manu mortali educta sub auras,  
Vel quod rex Salomon condidit autor opus.  
Præferat his meritis quæ sacram impendit in artem,  
Et tot viua Dei templa leuauit ope?  
Splendida cum moles vitium est factura per annos;  
Ista loco fati nulla procella mouet.  
Si quem non tantæ stringit pietatis imago:  
Immemor ille sui est, immemor ille Dei est.  
L A V S igitur nostri laudem Salomonis obumbrat;  
Sancta fides, res est firma: caduca, domus.  
Non etiam flexit fauor aut offensa tenacem,  
Ferret ut à patria religione pedem.  
Deicitur metu mentem ad tot fulmina Papæ,  
Proderet ut verum, susciperetque dolos.  
Quòd facile est discrimen opum, sed triste salutis;  
Parua rei, famæ magna ruina venit.  
P E R S P I C I T I S, credo, qua laude Augustus abundet,  
Quòd tanto coluit captus amore Deum.

B

Per-



Perpetuaque sacras operas ratione tuendi  
Subsidia ingenijs condidit alma bonis.  
SIC operis telam deduxi voce priorem;  
Altera nunc curæ pars peragenda subit.  
ACCIDIT huic laudi cumulus, quòd præbita claustris  
Restituit ludis æra benigna pijs.  
Quàm subitam faciant iacturam examina Christi?  
Quàm miseram cladem ciuicus ordo trahat?  
Quando vices doctæ suppleret nemo palestræ:  
Aut vacuas partes in statione fori:  
Si cesset Sophiæ cultura: peritia legum:  
Quæque sua Parcas cura moratur ope.  
Transtulit hinc census, quo læuo numine fuci,  
Ad luxus usi sunt, & inane sacrum.  
Nanque Dei cultum ad quæstum traxere nefandum,  
Est Christi merito vim rapuere suam.  
Artes sub pedibus iacuere, & regula morum:  
Rarus & officij cultor, & ultor erat.  
Conuenit hoc procerum curis, ut flexilis ætas  
Per certos duci possit in arte gradus.  
Ex his alueolis sibi Christus deligit agmen,  
Cuius ab ore preces, grataque verba sonat.  
Nam Patris ad dextram situs est dans dona, ministros:  
Doctrinæque tubas, præpositosque gregi:  
Agmina ludorum sunt sacri portio cœtus;  
His igitur procerum dextera præstet opem.

SIC



SIC templi ordinibus, doctasque colentibus artes  
Æra dedit Pharia certa Iosephus humo.  
Fatorumque sagax Daniel, sociisque laborum  
Regis ope euentus sustinuere suos.  
HAC etiam procerum nulli virtute secundus  
AVGVSTVS studijs præmia digna tulit.  
Communiq̄ penū doctrinæ excepit alumnos,  
Vnde status vitæ ducit uterque genus.  
Namque fori, cætusque sacri stirps surgit, in illis  
Est ubi doctrinæ casta palæstra, locis.  
Sic vbi temperies affulsit commoda cœli:  
Spem de messe trahit diuite cultor agri.  
Nec tam flos Marathi sensum caliginis aufert,  
Si nos obtuso luminis orbe premit:  
Quam mentem à tenebris leuat artis splendor honestæ,  
Et fert scintillæ, quæ modò restat, opem.  
Nec sine virtutum cultu, & cultoribus artis  
Vel fora, vel pietas salua manere potest.  
Quin etiam AVGVSTO visum est has tangere curas,  
Vt culto Latios ferret ab ore sonos.  
Mancipium ingenij est alieni, & fallitur ipse,  
Et fallit, propriæ qui caret artis ope.  
IN syluis posita est alijs sua cura; nec artes,  
Aut harum autores tam reuerenter habent.  
Sed procerum virtus fuit, ac sapientia quondam  
Sydera pro syluis, pro cane nosse Deum.

B 2 Sic

tris

1,

s:

IC





Sic humeris Atlas cœlum gessisse putatur,  
Orbes, & motus, signa, vicelque tenens,  
Iuuat eos, vitæ varios expendere casus,  
Et fugere infandos, egregiosque sequi,  
Aut in naturæ latebras defigere mentem;  
Quidûe Themis, quid sit lanx, ratioque fori,  
Quid rigor, atque fauor; quid ius, quid luadeat æquum;  
Cur, quod fas hodie est, cras quasi crimen erit.  
HIS alijsque modis distentum pectus habebat  
Augustus varia noster in arte sagax.  
Non ipsum latuit priscis res ædita sectis,  
Quicquid & arcanum litera sacra tenet.  
Non vocum ratio in nervis, vel turbine clavis,  
Et quæ Pæonia redditur arte salus.  
ESSE Deum: & mundum disponi à mente sagaci:  
Hæ partes Sophiæ pignoris instar habent.  
Portus Aristippum Rhodius cum cepit: & istic  
Partitas terram gessit arena notas:  
Apparere hominum vestigia dixit ab illis;  
Sensit enim hos artes nosse, nec esse feros.  
Tum, qui virtutum scelerumque euenta reuoluit:  
Is cernit Furias viuere, & esse Deum.  
Colligit ex casu maiorum, facta minorum;  
Se regere, atque alios recta docere potest.  
Ergo sibi probo non istas duxerat artes,  
In quibus aut vitæ norma, vel usus inest.

HOC



HOC etiam exemplum ut specie, sic ubere fructu  
Altius humanis sustulit ora bonis:  
Quodque sono Cygni Diræi, aut voce Periclis  
Debet ad ætatis semina longa trahi:  
Longius aut ipsi pensam traxisse sorores  
Debuerant, vacuum nec tenuisse colum,  
Sed sic dote Dei cecidit, quod & artis amorem  
Ad patrias hæres æmulus addit opes.  
Ut leuet amissus cladem hanc velut obside nata,  
Qui cumulum ad patris dona priora ferat.  
QVID simile his studijs habet ulla in Marte voluptas?  
Arma, iuuant unum; pluribus arma nocent.  
Arte togæ hic melius meruit, quàm CAROLVS armis;  
Bellaque, iusta licet, crimine nulla vacant.  
QVÆ fuit in ludos, & in artes cura: tenetis;  
De pacis studio pauca, sed apta feram.  
Pacis enim tantam rationem AVGVSTVS habebat,  
Egerit ut placidos Mysidos ora dies.  
Non ex offensa tenui se mouit in arma;  
Non vias vicinis facta, nec vlla suis.  
Præuenit rapidas suppresso fomite flammæ,  
Et tenuit motus sub ratione suos.  
PAX omni in vitæ genere, & tranquilla facultas,  
Iustitiæ ac animi est se moderantis opus.  
Hac ex stirpe sibi florem producit, & umbras;  
Hincque suos ortus ocia grata trahunt.

B 3,

Sed



Sed belli genitrix vis atque iniuria fertur;  
Fontibus his fluxit quicquid in orbe mali est.  
Iustitia, antè alias virtutum in partibus extat;  
Quando situs ipsis in ratione damus.  
Pax, genus hinc ducens, in fructibus anteit omnes,  
Quotquot honestatis sub grege nomen habent.  
Vfus enim excellens cùm fructibus insit in illis:  
Hincque in membra fori singula succus eat:  
Filia iustitiæ quoque pax suprà omnia præstat  
Quæ Deus, excepta vel pietate, dedit.  
Quem bona, quæ cultum virtutum artisque sequuntur,  
Inque togæ quavis sunt sita parte latent?  
Pax tamen est custos harum pastuque salubri?  
In socia vita quicquid habemus, alii,  
Pace lates etiam & quanquam orbi sensibus agri  
Præ se lætitiæ conscia signa ferunt.  
Pace thorus, mercesque vigent; tum mollior ætas  
Institui recta sub ratione potest.  
Hic causas agit: ille apices momentaque rerum  
Æstimat, & parti ponit utriusque modum:  
Rostra, ferunt leges humanas: pulpita, diuas;  
In precio virtus est, in honore Deus.  
In bello, non cura Dei, non floret honestas:  
Non vim iura suum: non gradus vllus habet.  
Omnia membra togæ de nexu ac ordine cedunt,  
Nec color, & species pristina rebus inest.

Lex



Lex sic filet; à laribus grex vertitur; atria squalent,  
Et doctor scolæ, præside templa vacant.  
Denique, res omnis geritur sine iure, fideque;  
Nullaque virtutis pars, & imago manet.  
QVARE, si pietas, artes, pax, formaque vitæ  
Ordinis illustris munere tegmen habent:  
Hunc opus esse Dei censete, precesque vicissim,  
Ut regat hunc placido numine, ferte Deo.  
Præsentisque adeò rationem sortis habete,  
Ne fors ereptæ sit caruisse dolor.  
Quis satis, ut fas est, animo complectitur antè,  
Quas velut inclusas pace tenemus, opes:  
Turbine quàm belli è manibus carpuntur; & artes  
Antè oculos foedè cum pietate iacent?  
Præda facultates sunt omnes: tecta que flammis  
Pabula: flagitij nomen, inerme genus.  
Tunc plarumque homines cœlestia commoda norunt,  
Quando sua culpa præterijisse vident.  
Et quæ vix poterant acquiri corde virili,  
Fœmineis lacrymis lapsa referre volunt.  
Vix ita, cum clauum Salomon per fata tenebat:  
Se tenuit Solymo dulcis in orbe quies:  
Et vix Halcyone dum mollibus incubat ovis,  
Tàm vacuum à pelagi turbine tempus habet:  
Quàm status Augusti moderamine candidus iuit,  
Et ditio pacem commoda sensit humus.

B 4

Nam



Nam licet hunc animi sublimi ardore referret  
Cui primùm imperij celsit honestus apex:  
Non tamen affecit ius pacis motibus ullis,  
Infesta cuiquam vim ratione ferens.  
Qui potius factam tulit æquo pectore fraudem,  
Otia quàm patriæ verteret alma suæ.  
Sed celer in belli rebus discursus agendis  
Clarabis imperij nomine signa dedit.  
Nam semel arma pio cum fratre gerebat ad Istrum;  
Improba mox patrijs vota premebat agris.  
Nempè quòd obiecto cohibens velut obice prædas  
Imperium à casu texit, ab igne lares.  
Pace domi facta, pacisquæ reuersus ad artes  
Iustitia populos rexit, ut antè, suos.  
Oppida vi legum, & rectorum moribus æquis  
Libertate suas quæquæ tuentur opes.  
Inducta quæ patrum ratione usuquæ fruuntur,  
Nec sæui languent asperitate iugi.  
Tum loca censorum fixit, quæ semina litis  
Siue thorum attingant, vel sacra, lege premant.  
O meriti immemorem, quæ non tot commoda tangunt,  
Et grates pleno non agit ore Deo.  
Namque sua in sacros pietas est cognita cœtus;  
Cura sua in ludos; mensquæ benigna forum.  
Iunxit ad hæc sanctas pacis, quibus utimur artes,  
Per quas est populis visus adesse Deus.

Ver



Venerat, & florum fragrantia, & Arboris umbra,  
Sub qua soluebant membra quiete gregos.  
Musarum citharæ feruebant, arma iacebant,  
Mutabantque suas ars, preciumque vices.  
Fas, artesque togæ, & pax harum nervus, & altrix  
Huic debent, statui reddita quæque suo.  
Vindice quo modus & ratio dant iura per vrbes,  
Et sine sorde artes sunt, sine labe fides.  
A turpi thalamos Venere, ac à scœnore sortem,  
A raptore lares soluit, ab hoste vias.  
Iure pari obscuris clarisue è stirpibus ortos  
Vltori spreta pro pietate dedit.  
**INSITA** notities virtutum in mentibus hæret,  
Ceu nota, quòd talis mens sit & ipse Deus;  
Nempè bonus, sapiens, iusti que assertor, & autor,  
Casta que mens, & qui re sua verba prober.  
Vult que creaturas vsum rationis habentes  
Mentis ad exemplar moribus esse suæ.  
**VTQVE** ea notities virtutum salua maneret:  
**IMPERIA** instituit iure potente Deus;  
Per quæ clara Dei noscatur in orbe voluntas,  
Si sua sint iustis præmia, pœna reis.  
Sæpè Deus delicta hominum se vindice plectit:  
Sæpè vel officio præsidis illa premit.  
Vique Dei in mundo seruatur summa potestas;  
Et comes ad solium iura dat ipse Deus.

C

Quique



Quique animum inducit statui vim ferre rogato:  
Is sciat ultorem post caput esse Deum.  
Non quò vota trahunt, & Auerni spiritus vrget,  
Ac expers freni vel rationis eat.  
Namque hominum coetus sine lege ac rege fatiscat:  
Ad pia nam vitæ foedera factus homo est.  
Non voluit sparfos homines sine more vagari,  
Ac in diuerso quenque latere specu.  
Inter se sed amare gregem, & conferre loquelam,  
Communi & laudes voce referre Dei:  
Atque alios alijs exempla ostendere morum,  
Et dare de vero pignora certa Deo.  
Hinc genus, & generis curam, & commercia sanxit,  
Nexibus his hominum staret ut omne genus.  
Addidit & leges, socius quibus ordo regatur,  
Quæ vitam, thalamum, res, violare vetant.  
His veluti septis, & habendi limite, & vsu,  
Corpora, consortes, rectaque tuta facit.  
Ergo etiam imposuit qui ius in corpus haberent,  
Et vox sint legum, conficiantque reos.  
Pars hominum rudis est, nec habet sacra cælica curæ:  
Pars nullum, aut sine vi cogitat esse Deum.  
Ordinis ergo Deus sanxit ciuilibis habenas,  
Membra coherentis vi, vetitumque nefas.  
Admonitrixque Dei pœna est: cautumque futuri,  
Iustitiæque tenax numen habere probat.

Nomina



Nomina pœnarum nisi sint: non ardor honesti,  
Fœdera non vitæ, vita nec ipsa foret.  
Est igitur socij nervus gregis alma potestas;  
Et qua munita est, vis ea tota Dei est.  
Hac ut in officio possit retinere feroces:  
Hæc lancem, at gladium sustinet illa manus.  
Est quædam ratio tractandæ illustris habenæ,  
Congrua quæ debet legibus esse Dei.  
Utque Dei sapientis opus sunt corpora cœli,  
Et motus horum, frugiferæque vices:  
Sic autore Deo satus est, servatque tenorem  
Ordo potestatis, resque severa fori.  
Omnibus in gradibus quos civicus obtinet usus,  
Conspicitur ratio, fas, bonitasque Dei.  
Lex, atque vna notant sapientem; pœnaque iustum,  
Et res contractæ sub ratione pari.  
Vis præsens, bonitasque trahit se pignore claro,  
Quòd genus humanum vindice servat ope.  
Nec natura homines, sed disciplina gubernet,  
Quam lex alma Dei postulat, atque decus.  
Utque status vitæ socias exerceat artes,  
Si iustas operas paxque, fidesque tegant:  
Vera Dei ratio, nec tantùm regula morum  
Sub disciplinæ voce notata subest.  
Fas, rerumque fides, vel honestas, curaque pacis  
Omnis in hoc mundo fons & origo boni est.

C 2 Tunc.



Tuncque boni numeros implent, si pura feratur  
Relligio; & ludis sint sua iura pijs.  
Sic legum tabulis, atque ordine vindice legum,  
Vita, velut mundus Sole, carere potest.  
Quid vitæ status est sine iure & præside vitæ?  
Congeries: credes: præda: ruina: nihil.  
Nemo sibi iniiciet frenum; & sua quenque voluntas  
Quò feret, inuita lege Deoque ruet.  
SIC tamen Augustus, suscepta est vsus habena  
Legis ut in tabula fert bipatente Deus.  
Atque aciem mentis tales intendit ad actus,  
In quibus imperij creditur esse salus.  
Nempè, Dei ad cultum; studiumque in pace tuenda,  
Utque animi in regni corpore lite vacent  
Parsque gubernaculi non arguit ulla remissum;  
Huicque facem ratio prætulit alma suam.  
Perfidia simile est sua fallere pensa scientem,  
Nec sibi commissæ sortis obire vices.  
Vult Deus in nobis stimulum feruere laboris,  
Nec torpere graui languida corda situ.  
Obtinet hanc laudem David, quòd commoda pugnae  
Tempora, cum spacio conueniente legit.  
Rex Macedo somnum non antè admisit ocellis,  
Quàm mente instructus militis ordo stetit.  
Nec super euentu curam exercebat inanem,  
Aut quid censuræ lingua proterua ferat.

Sorte



Sorte sua seruire bonis, solisque placere  
Est satis; in vulgi sensibus error inest.  
Sed petit euentus Dauid in Marte secundos;  
Pendet & à solo speque, fideque Deo.  
Qui, quod opus facto est, facit: est securus iniqui  
Arbitrij: & iusso non mouet orbe pedem.  
Ac velut à radijs acies sensusque retusus  
Redditur, & nisu vincitur ipse suo:  
Sic grauis AVGVSTI species, ac ampla facultas  
Obtutum inuidiæ fregit honore suo.  
Nec virtutis iter censura repressit iniqua;  
Vincit, cui melior caussa, Deusque fauent,  
Semper ad officium debet spectare voluntas;  
Cura, quid eueniat: subiicienda Deo est.  
Errat, quòd populi Pompeius nititur aura,  
Vique sua patriæ spem putat esse sitam.  
Peccat item, vt versa vice spem deponit Aratus,  
De rerum euentu quem grauis angor habet.  
SED licet humana non prorsus sorte carebat  
Summus homo, insultu liber, & hoste carens:  
Nec passus sibi verba dari quæ forsan acutum  
Chryssippi ingenium fallere posse rari.  
Non tamen atroces habuit vita aspera casus;  
Parca dedit placida currere pensa colu:  
Atque aliquem Deus & tempus mala vertit ad vsum;  
Et fors Halcyonum mansit, & aura tenax.



Sed sibi fidentum citò præterit hausta voluptas,  
Et sonitum spinæ, quam vorat ignis, habet.  
Nanque Dei & pœnæ securi in crimine fastus  
Ex subita pœnas clade dedere graues.  
Triste dedit Saules exemplum; & natus Iesse,  
Quàm facta offendant immoderata Deum.  
Cræsus item, à flamma quem soluit fama Solonis;  
Quique totin Graios agmina duxit agros.  
Et caper Æmathius; Romanaeque autor habenæ;  
Et contra socerum qui tulit arma gener.  
Sic præceps animi, & fidens Antonius armis;  
Sic alij horrendis occubere modis.  
HÆC exempla volunt, ut flatu cruda remisso  
Corda Deum metuant, auxiliumque petant,  
Negligit officium rebus mens usa secundis;  
Et facile ad lapsum fastus, & ira trahit.  
NOSTER in eximio versans Augustus honore,  
Cuncta Deo acrispsit robora, nulla sibi.  
Nulla voluntatem res aspera fregit honestam,  
Si pro lege aliquod, vel grege gessit onus.  
Ut rectam assereret sine vi, sine sanguine causam,  
Nec patrios bello sollicitaret agros.  
Ceu Fabius, fidus gentis; fidusque Camillus;  
Cuique dedit titulos Africa tunsa suos.  
Pars melior vincit tandem, licet æqua secutis  
Aduersa obijciat cursibus aura moram.

Sed



Sed non Cliniades tulit æquo pectore casus:  
Ac vr̄bis nomen Coriolanus habens.  
Hos agit in furias ingratae iniuria plebis,  
Vt patriæ inferrent bella cruenta suæ.  
Nec dolor Augustum, iustus licet, egit in iras,  
Quas vellet facta non nisi cæde premi.  
Namque iugum quod cuique suo fert tempore fatum,  
Disposita ad quæuis pondera mente tulit.  
Non in consilium vota inconcessa vocabat,  
Rebus ut efficeret quem velit esse statum.  
Cassius hanc curam, Brutusque mouebat inanem,  
Vt patriæ starent res meliore loco.  
Cura suam præter sortem suscepta, nefanda est;  
Somnia sunt, contra fata mouere statum.  
Non augere malum cura sine sorte: sed æquo  
Ferre animo casus: est sapientis opus.  
Nam semel in mundo tantum aurea constitit ætas:  
Ex ære exorta est deteriore sequens.  
Fata sui seculi placidè fert natus Achabo,  
Nec res iniusta conditione mouet.  
Non ut Iësidēs felice potitur habena:  
Huic tamen & mixto tempora felle madent.  
Nulla cauere potest omnes industria casus:  
Non tamen à clauo subtrahit ille manum.  
Optima de nobis statuit diuina voluntas,  
Mors quoque si medio cæca labore subit.

C 4 HÆC



HÆC eadem nobis lenit fiducia cladem,  
Quam dedit AVGVSTI mors inopina Ducis,  
Namque suas inter prælustri in munere curas  
Solvitur; & fluxu colla premente cadit.  
Qui flos est hodie, cras aret imagine fœni;  
Gloriaque in fumum, vitaque funus abit.  
Floret homo, & marcet; surgitque, caditque vicissim;  
Vox hæc quærit; vbi est? redditur illa; fuit.  
Non quenquam sua res, aut ordo à morte tuetur;  
Attulit huic causam virus ab angue datum.  
Læsus ab angue, capit fomentum Augustus ab angue,  
In trabe qui pendens creditus Anguis erat.  
Nil Auguste nocent igitur tibi specula mortis,  
Nam sparsum Christi sanguine pectus habes.  
Exitus est ortu melior; mortalis in ortu,  
Diuus in occasu factus es ipse tuo.  
HÆC si respicimus: dolor hac in parte leuatur;  
Sin nos: cur pius hic crimen habere thonos?  
Ille quidem studijs non his eget; attamen ipsi  
Non alia reddi gratia dote potest.  
Nam sic est meritis toto de corpore regni,  
Deque omnis generis munere, sorte, gradu,  
ERGO pio cineri Virtus grege cincta sororum  
Solvit, quæ cineri solvere dona potest.  
PAX dolet antè alias, miro quam fouit amore,  
Et Martem nodis vinxit, & arma seris,

FIDES



Ipsa FIDES etiam lacera circum obsita palla  
Prepetibus pennis quærit ad astra viam.  
GRATIA, fulta caput manibus dormire videtur;  
ARTIBVS, ex humeris trita lacerna fluit.  
Sunt etiam plures; est tamen omnibus vna,  
Quòd duce sit virtus orba: parente Salus.  
Quid nunc ergò iuuant, ipso in tellure iacente;  
Ergo iacet? sed non inclyta dona iacent.  
Donec erit pietas, erit huius imago superstes;  
Vitam cum vellet Mors abolire, dedit.  
Præterea est onerum patris, ut successor honorum  
Filius; officio tector, amore pater.  
Ut minimè amissus, sed redditus esse putetur;  
Nam quod erat, Nati nunc quoque sorte sui est.  
O AVGVSTE choris felicibus addite, salve;  
Cum sint iterum iusta soluta vale.

D I X I.



D RECTOR



Errata crassiora in Carmine sic corrige.

A 2. fac. 1. vers. 19. pro *assequiter*, lege *assequerer*.

f. 2. v. 2. pro *marito*, l. *meriti*.

B 1. f. 2. v. 16. pro *Est*, l. *Et*.

B 2. f. 2. v. 11. pro *sectu*, l. *seclis*.

B 3. f. 1. v. 20. pro *vias*, l. *vis*.

B 4. f. 1. v. 1. l. *remoue* sic.

C 2. f. 2. v. 6. pro *credes*, l. *cedes*.

C 3. f. 1. v. 22. pro *rari*, l. *rear*.

C 4. f. 2. v. 6. pro *sumus*, l. *sunus*.

D 1. v. 3. l. *vox est*.

Vers. vlt. prapone *Et*

*Cetera sunt eiusmodi, vt à prudenti lectore reponi*

*facile possint.*

D I X I

D R E C T O R



RECTOR ET SENATUS  
ACADEMIÆ VVITEBER-  
GENSIS.



**R**EDIT anniversaria dies, qua cum dolore & luctu recordamur eius vulneris, quod haec terra potissimum, atq; aliae, summisso studio colentes Inclytam domum Principum & Electorum Saxoniae, acceperunt, morte Illustrissimi Principis ac Domini, Domini AVGVSTI, laudatissimae memoriae, Ducis Saxoniae, Electoris, &c. meritis erga rempubl. Christianam, & communem patriam, Germaniam, clari imprimis & celebrati. Est Princeps pius ac salutaris eximium Dei donum, & imago quasi DEI in terris: qui & potestatem imperandi, quam habet, concessu & munere gerit divino: & quibus praest populis, eos beneficijs diuinis afficit & cumulat. Cum enim ob communem naturae depravationem, non omnes videant, quid rectum, equum & honestum sit: aut si videant, pravis tamen cupiditatibus plus tribuant, quam recto iudicio: praclare de hominum genere Magistratus meretur, qui leges honesta ratione sancit, & harum repagulis homines ita coercet, ut pax publica conseruetur, cuius & nomen verè dulce



dulce est, & res ipsa salutaris. Sed longè maius benefici-  
um est, quòd Magistratus est custos sacrae religionis,  
quæ vera D E I agnitione & cultu pio continetur: &  
quòd nutricius est Ecclesie Christi, quæ dum in terris  
militat, hisce præsidijs & adminiculis carere nequit.  
Tali ergo Principe & Patre patriæ, si orbari contingat  
aliquam rempublicam: meritò ingentem illa animo dolo-  
rem concipit, sæpiusq; iterata luctus signa edit in publi-  
cum, ne tantorum beneficiorum memoria obliuione un-  
quàm deleatur. Ita Iosia regis sanctissima funus, cum  
in prælio occubisset, luctu & lacrymis prosecutus est  
uniuersus populus Israël: & Ieremias Propheta, qui  
in primis casum hunc acerbè ferebat, carmen & lamen-  
ta fecit lugubria, quibus pietas & virtus regis, apud po-  
steros quoq; solennibus, ut videtur, iustis celebraretur.  
Atq; alias gentes, non feras nec barbaras, præclare de suo-  
rum ciuium ac principum virtus & meritis, etiam ab  
eorum morte sensisse, testantur monumenta rerum ve-  
terum. Quæ enim <sup>varij</sup> Græciæ, cum magnifico ludo-  
rum apparatu instituta, antiquissima erant, & maxi-  
mè solennes: eæ honorificam de mortuorum memoriam  
complectebantur, quemadmodum ex Pindarico carmi-  
ne apparet. Et apud Romanos, proxima Deorum ho-  
nori-



noribus erat funerum atq; exequiarum cum ludis cele-  
brietas: et si eorum ludorum sumtus & magnificentia  
eò tandem processit, ut modum statui necesse esset, edi-  
ctis publicis: cum & gladiatoria vitæ certamina acce-  
derent, spectaculo tristi & immani, quasi decora mor-  
tuorum manibus gratæq; essent hostia, quæ humano san-  
guine litarentur. Erant vniuersa ea, quæ tanta religi-  
one peragebantur, ad hunc finem directa: ut & mortuis  
benè meritis debitus honos haberetur: & superstitum  
animi, his tanquam stimulis, ad præclaram factorum  
illustrium imitationem concitarentur. Itaq; meritò re-  
tinemus μετ' εὐλογίας, memoriam optimi & augustissimi  
Principis, AVGVSTI: eamq; quantum possumus,  
literarum monumentis posteritati propagare studemus.  
Vitam egimus sub excelsa & benefica hac arbore, tutam  
& tranquillam, in qua religiosam pietatem colere, in  
opt. artes ac disciplinas incumbere, victumq; honesto la-  
bore parare, leges & iudicia administrare, societatem  
deniq; hanc civilem coniungere, coniunctamq; seruare  
placide licuit: quæ nimirum beneficia tanta sunt, ut  
maiora ijs tribui à Deo per Magistratum, commodisq;  
subditorum suppeditari, vix posse videantur. Quæ au-  
tem virtutes animi eximia & præclara luxerunt in he-



roë hoc præstanti, imo: earum amplitudo & maiestas  
tanta est, ut ijs percensendis, & prout res meretur di-  
gnè predicandis, vel Periclea oratio non sufficiat. Quan-  
tum tamen assequi possumus pio studio, testificante no-  
stram obseruantiam & memoriam gratam, qua mortui  
etiam Principis laudatissimi pietatem ac merita, cum  
in Rempu. uniuersam, tum in literariam quoq; hanc no-  
stram, colimus ac veneramur: tantum quidem præsta-  
mus in præsentia, ac deinceps erunt viri docti & boni,  
qui præclaris suis monumentis, illud vera virtutis ac di-  
gnitatis exemplar immortalitati commendabunt. Qua  
in re, sicut hætenus egregiam operam nauavit vir cla-  
riß., & Poëta excellentiß., Dn. D. Iohannes Major,  
amicus noster: ita non defatigantur eius Musæ erudi-  
tissime, veterumq; laudi proxime, in consecrandis Deo  
& Virtuti laboribus atq; commentationibus suis: quæ  
præstantis ingenij laus vera est & præcipua. Cum  
igitur iussu & autoritate Illustrissima, constitutum sit  
Dn. D. Maiori, V. Cl., iusta annua iterum soluere, in  
αὐτοκρατορία nostra scholastica, AVGVSTO Principi lau-  
datissimo, atq; elaboratum quid à Musis suis exprome-  
re, quod optimi Principis memoriam celebret:horta-  
mur Scholasticos, ut ad audiendum ea, quæ publ. voce  
tum



tum dicentur, frequentes conueniant, in loco, qui solen-  
nibus hisce conuentibus tribui solet, ad diem Iouis pro-  
ximum, qui mensis huius erit XI, hora nona matuti-  
na: atq; nobiscum DEO gratias agant, quod in hac  
tristi temporum confusione, aliquos tamen pios & salu-  
tares Principes exuscitat: cuiusmodi fuisse Principem  
Augustum, boni omnes agnoscunt & predicant. Con-  
iunctis etiam animis & votis à Deo precentur, ut in his  
Ecclesia periculis, & grauissimo Reipubl. tempore, nobis  
diu saluum & florentem conseruet Illustriss. Principem  
Electorem, CHRISTIANVM Dominum no-  
strum clementiss., cum Inclyta coniuge, & sobole illu-  
strissima: eum regat ac defendat, munitum sapientia,  
autoritate, felicitate, ut tota eius gubernatio seruiat  
gloriae nominis diuini, & publicae hominum  
saluti ac tranquillitati. P. P. VII.

Id. Febru. Anno Christi,

M. D. XCI.



M. D. XXI.  
Id. Febr. Anno Christi.  
Saluti ac tranquillitati. P. P. VII.  
gloria nominis divini, & publica hominum  
antiquitate, felicitate, et tota eius gubernatio servata  
summa: cum regat ac defendat, multitudine sapientia,  
fidei clementia, cum iustitia coniuge, & solido in-  
Electorem, CHRISTIANUM Dominum no-  
strum, & horumque consuetum Illustrissimum Principem  
Ecclesie periculis, & gravissimis Reipublice temporibus  
instructis etiam animis, & totis a Deo presentibus, ut in his  
Augustinus, bene omnes agnoscat, & praedicat. Con-  
tates Principes existat: cuiusmodi fuisse Principem  
tristis temporum consuetudo, ut in his tamen pro & salu-  
tia: ut nobiscum DEO gratia agant, quod in hoc  
scimus, qui mensis Januarii curi X. hora nona natus  
tribus hanc conventibus tribuisset, ad diem Januarii pro-  
tunc dicitur, frequentes conveniant, in loco qui vocatur

me  
1



II

ULB Halle 3  
004 953 754




SB











B.I.G.

Farbkarte #13



V c  
2978

(3)

atio

E ILLV.  
NCIPIS AC  
VGŪSTI. Ducis  
xonix, &c.

*societate optimè  
Witebergensi*

n facta,

ac mandato

ISSIMI  
DOMINI,  
NI, Filij, Ducis  
xonix, &c.

*am submissè  
iore: D.*

RGÆ  
Axini. Anno  
XCL

LIBRARY

